




N. Hemmingius
Assertiones
de
Providentia Dei.
Hafniæ 1577.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°

3.-94.

40

LN 777

M




ASSERTIONES
DE PROVIDENTIA DEI,
IN DISPUTATIONEM PRO-
POSITAE,

NICOLAO HEMMINGIO
in Maio, Anno Domini

1577.

I.



1. *T*si homini inaccessa est diuinæ pro-
videntiæ altitudo: tamen fides eius
ex verbo Dei concepta pijs est perne-
cessaria.

2. *N*am ut nihil magis hominem
in officio continet, quam pia prouid-
entiæ diuinæ cogitatio: Ita de diuina prouidentia vel
dubitatio, vel Stoica imaginatio, paratiſſima ad omnem
iniquitatem via est.

3. *Q*uoniam autem absolutam prouidentiæ diuinæ defi-
nitionem dare non possum (quis enim hoc faceret?) sequen-
tem qualemcumq; descriptionem tenere utile esse iudico.

4. *P*rouidentia diuina est facultas, qua Deus cuncta
præterita, præsentia, & ventura nouit, quaq; sustentat,
conseruat, disponit, moderatur, & dirigit omnia in suam
gloriam.

5. *C*omplectitur itaq; prouidentia diuina duo, video
licet, scientiam & actionem: Illa Deus omnia nouit

A. per-

perfectissimè: Hac moderatur liberrime vt ipsi soli gloria tribuitur.

6. Modus prouidentiae diuinæ tres esse, ex scripturis manifestum est: Horum primus Vniuersalis, secundus specialis, tertius peculiaris dici potest.

7. Vniuersalis prouidentiae diuinæ modus est, quo Deus, & naturam ipsam, & modum agendi naturæ in creatione inditum sustentat.

8. Cum itaq; alia agunt necessario, & eodem modo, alia liberè & diuerso modo, Deus vt naturam agentium, ita modum vtrungq; sustinet.

9. Ideo Augustinus ait: Deus sic administrat omnia quæ creauit, vi etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat, hoc est, vt singula sequi suas inclinationes permittat.

10. Hinc intelligitur error eorum, qui Deum esse autorem peccati fingunt. Deus enim nec vult peccatum, nec hominem ad peccandum impellit, et si voluntatem hominis, in qua est libera appetitus (quæ se promiscuè habet ad obiecta) sustentat.

11. Quare Hieronymi dictum probo. Vtrungq; nos posse voluit optimus creator: sed facere tantum quod imperavit.

12. Cum igitur sit aliquid ab homine, contra præcepta Dei, vt natura hominis, ita modus agendi sustentatur à Deo, sed peccatum ipsum hominis est proprium: quod etsi non vult Deus, tamen permittit. Quia non vult destruere modum agendi, quem liberum dedit homini in

Crea-

gl
iptus
CHIN
quo
re in
modo,
tum,
nnia
emo
ppm
Te am
, nec
omini
et ad
1895
Tina

res
en-
mi:
ult
in
4

Creatione: ut et emineret eius dignitas, et probaretur obedientia.

13. Quare Plato rectè cum ait: ἀττία ἐλομένης, θεός πάρα πάροθεός τοις οὐτοῖς. Hoc est, culpa est eligentis, Deus est culpæ expers. Deus enim nunquam malorum autor est. Et Augustinus ait: Detestanda est opinio, que credit Deum cuiusquam malæ actionis, aut voluntatis esse autorem.

14. Etsi autem mala non ordinantur à Deo ut faciant: tamen cum facta sunt, seruiunt sapientissimæ prouidentiæ Dei: idq; in bonum vel misericordiæ, vel iusticiæ, prout ipsi expedire videtur.

15. Hinc est quod Paulus dicit: Diligentibus Deum πάντα σωτηργεῖ εἰς ἀγαθόν. Et Hieronym: Omnia prouidentia Dei reguntur, et quod creditur esse pœna, medicina est.

16. Longè proinde aliud est ordinare mala ut fiant, quam ea cum fiunt seu facta sunt ordinare, id est, ad aliquæ congruum finem dirigere: Hoc Dei est, illud minimè.

17. Hoc Vniuersali prouidentiæ modo complector, et eum, quem quidam vocant κατ' δικονομίαν, cum videlicet Deus efficaciter ea quæ ordinavit sustentat et adiuuat: et eum quem vocant κατ' συγχώρσιν, qua Deus quæ non ordinavit permittit, sed non adiuuat.

18. Hæc συγχώρσις et permisso causa est contingentiæ in rebus, et libertatis voluntatis in homine, qua homo saepe sua culpa eligit, quæ Deus prohibuit.

19. Specialis prouidentiæ modus est, quando Deus suo consilio et arbitrio, præter ordinem generalem aliquid

molitur, & adducit creaturas in obsequium suum, ut maxime expedire videtur.

20. Ad hunc prouidentiae modum, pluuias, tempestates, grandinem, siccitatem, serenitatem, abundantiam, famem, bellum, pacem, exilium, pestem, morbos &c. refero: ut haec sint iusticiae diuinae & bonitatis instrumenta.

12. Hoc ita esse Deus sua voce testatur in Leuitico, cap: 26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum &c. Quod si non audieritis me &c. perterrefaciam vos tumoris plaga, & febre ardente, frustra seretis semen, quæ ab hostibus deuorabitur: Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris.

22. Peculiaris prouidentiae modus est, quo Deus visuit & regnat in Ecclesia. Fideles erigit, fouet, consolatur: operatur velle & perficere: inspirat precandi affectum, & efficit ut in præceptis suis ambulemus.

23. Sic enim dicit apud Prophetam Dominus: Aufe ram cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carnatum, & spiritum meum dabo in medium vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis. Ezech: 36.

24. Cor lapideum est animus durus non cedens verbo Dei. Cor carneum est animus mollis per spiritum Dei creatus, cedens verbo Dei. Ut enim animus hominis ante regenerationem totus lapideus est, non quidem substantia sed qualitate: Ita in regeneratione nouus efficitur: nam pauplatim vetustatem deponit, & nouitatem induit.

Atq

25. Atq; sic paul: itim exuitur *vetus homo*, & induitur *nouus*. Vtriusq; enim capax est homo τυχικός constans anima & corpore. Qui nequaquam ratione substantiae sue est peccatum: Sed conditione quadam peccator corruptus & reus est.

26. Hoc admodum concinnè docet Theologus Græcus, cum ait: τὸ μὲν ὑποκείμενον ἐπὶ τοῦ, ταῦτα ἐνδύματα σὺν τοῖς ἔχεσθαι μένον, καὶ τὸ ἔμενό μένον. Hoc est, subiectum quidem vnum est, sed indumenta duo: vnum exuendum, alterum induendum. Quid potuit aptius dici? Subiectum ipsum hominem facit. Sed veterem hominem & nouum hominem accidentia esse statuit, idq; ex doctrina Pauli, qui iubet ut deponamus veterem, & induamus nouum hominem.

27. Porro ut prouidentiæ diuinæ cogitatio nobis dulcior euadat, duo sunt nobis adhuc expendenda, videlicet: Quis sit prouidentiæ diuinæ finis, & Quis legitimus eius usus.

28. Finis prouidentiæ duplex statui potest: Prior, ut nos totos Deo commendemus, eum timeamus, diligamus, inuocemus, & prædicemus. Posterior, ut in rectè factis securis simus, nec frangamur animis, quicquid vel diabolus, vel mundus nobis minatur. Habemus enim Deum, autorem, patronum, testem, iudicem, satisq; potentem vindicem.

29. Legimus usus prouidentiæ diuinæ gubernatur duabus regulis. Harum prior est, quod tam in præteritum quam in futurum consideranda sit prouidentia Dei.

30. Si ad tempus respicias præteritum, diuinæ prouidentiæ adscribes, quicquid vel prosperi vel aduersi tibi contigit: sed diuersimodè.

31. Nam si quid prosperi contigit, habes causam cur Deum celebres tuæ prosperitatis autorem: At si quid aduersi accidit, duo facies: Primum cogitabis cum Iob: Sicut Domino placuit, ita factum est: Et cum eodem erumpes in hanc vocem: Sit nomen Domini benedictum. Deinde actæ vitæ subeat memoria, ut ex pœnis tibi inflictis peccata tua agnoscas & emenderis: Ut ex animo cum Davide dicere possis: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me. Item, Priusquam humiliarer ego errauit.

32. In tempus autem futurum, rectè prouidentiam Dei cogitaueris, si ad promissiones & comminationes diuinæ respexeris. Nam si præceptis diuinis obtemperas, habes promissionem benedictionis: Si contumax fueris aduersus Deum, comminatio maledictionis tibi est proposita, ut vel resipiscas, vel ruas in deterius.

33. Hinc homo ad fidei, timoris Dei, invocationis, patientiæ, & aliarum virtutum profectum excitatur, ut quotidie magis in recto cursu, donec ad metam peruerterit, proficiat. Habet enim in conspectu veræ beatitudinis portum.

34. Vehementer proinde peccant, qui ex diuinæ prouidentiæ cogitatione venenum fugunt sua culpa, & torporem carnis inde confirmant. Nequaquam enim carnis torporem: sed fidei quietem, nobis diuinæ prouidentiæ cogitatio adferre debet.

Poste-

35. Posterior regula est, quod Deus interdum per media, nonnunquam contra omnia media, aliquando absq; medij suam prouidentiam exequatur.

36. Si per media nobis prospicit Deus, accipienda sunt illa media, ut diuinæ prouidentiæ instrumenta, & tanquam manus Dei, per quam nobis sua beneficia porrigit. Sed soli Deo beneficium acceptum feremus, non sine gratitudine erga media, per quæ nos iuuat.

37. Si absq; medijs nobis succurrit Deus, quemadmodum Mosen & Eliam absq; pane 40. dies sustentauit, ascribemus hoc verbo Domini, iuxta illud: Non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.

38. Si contra media (ordinata intelligo) nobis Dominus prospicit: hoc est, cum nulla obstacula prouidentiam diuinam impedire possunt (sicuti tribus illis viris in Babylonicum fornacem coniectis, & Danieli leonibus obiecto, prospexit) Deum prædicabimus, & hominibus ipsius mirabilia opera narrabimus, ut nobiscum ad prædicandam Deum excitentur.

39. Breuiter: Prudentiæ diuinæ fides monet, ut militemus honestam militiam, ut retineamus fidem, ut tueamur bonam conscientiam, ut caueamus, ne vel in aduersis succumbamus, vel in prosperis efferamur: ut recto cursu pergamus ad metā. Breuiter: ut nos sapienti & paternæ prouidentiæ Dei, in vero timore, invocatione, gratiarum actione, obedientia, & patientia submittamus, expectan-

pectantes beatam illam immortalitatem, & vitam aeternam, quam nobis Pater in Filio promiserat.

40. Hæc sobriè iuxta verbum Dei de prouidentia diuinæ cogitare iuuerit. Nam & religioni propagandæ utilia sunt, & moribus profunt.

41. Contrà vero, qui prouidentiæ diuinæ altitudinem mensura sensuum & rationis suæ metiri volunt, & se & alios in inextricabiles labyrinthos inducunt, atq; in multa errorum præcipitia impellunt.

42. Nam omnia, et si non apertis verbis, consecutio-
nis tamen necessitate, quasi fato Stoico, hoc est, ineuita-
bili necessitatì subjiciunt, tollentes permissionem, & cum
illa contingentiam in rebus, & libertatem voluntatis in
homine. Quo dogmate quid quæso absurdius fingi potest?
Et quid religioni & bonis moribus perniciosius?

F I N I S.

H A F N I A E.

Excudebat Andreas Gutteritz.

1577.





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 777 4°